

Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur.

Item infirma ratio est, quae non necessariam causam affert expositionis; velut Pacuvius:

Fortunam insanam esse et caecam et brutam perhibent
Philosophi,

Saxoque illam instare globoso praedicant volubili:

Ideo, quo saxum impulerit fors, cadere fortunam autumant.

Caecam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo se applicet.

Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta instabilisque sit.

Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Sunt autem alii Philosophi, qui contra Fortuna negant,

Miseriam esse ullam, sed temeritate omnia regi. Id magis

Veri simile ajunt; quod usus reapse experiundo edocet.

Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est:

Naufragio res contigit. Nempe ergo haud Fortuna obtigit.

Nam hic Pacuvius infirma ratione utitur, quum ait, verius esse temeritate, quam Fortuna res regi. Nam utraque opinione Philosophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuisset, mendicus fieret.

Cap. XXIV. Item infirma ratio est, quae videtur pro ratione afferri, sed idem dicit, quod expositione dictum est, hoc modo: *Magno malo est hominibus avaritia; idcirco quod homines magnis et multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniae cupiditatem.* Nam hic aliis verbis idem per rationem dicitur, quod dictum est per expositionem.

Item infirma ratio est, quae minus idoneam, quam res postulat, causam subjicit expositionis, hoc modo: *Utilis est sapientia, propterea quod qui sapientes sunt, pietatem colere consueverunt.* Item: *Utile est amicos veros habere. Habeas enim quibuscum joculari possis.* Nam hujusmodi in rationibus non universa, neque absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur.